USUARDUS. BENEDICTUS DE NURSIA. GRANUM PASSIONIS. VARIA

Melk, bald nach 1418 Seite 349

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=41388
Copyright: Melk, Benediktinerstift

et induatur rebus monasterii. Illa autem vestimenta quibus exutus est reponantur in vestiario conservanda. Ut si aliquando suadente dyabolo consenserit ut egrediatur de monasterio quod absit, tunc exutus rebus monasterii proiciatur. Illam tamen peticionem eius quam de super altare abbas tulit non recipiat, sed in monasterio reservetur.

De filiis nobilium vel pauperum. 59.

Si quis forte de nobilibus offert filium suum deo in monasterio, si ipse puer minor etate est, parentes eius faciant peticionem quam supra diximus et cum oblatione ipsam peticionem et manus pueri involvant in palla altaris, et sic eum offerant. De rebus autem suis aut in presenti peticione promittant sub iureiurando quia numquam per se, numquam per suspectam personam nec quolibet modo ei aliquando aliquid dent aut tribuant occasionem habendi. Vel certe si hoc facere noluerint et aliquid offerre voluerint monasterio in elemosina pro mercede sua, faciant ex rebus quas dare volunt monasterio donationem, reservato sibi si ita voluerit usu fructuario. Atque ita omnia obstruantur ut nulla suspicio remaneat puero per quam de